



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gavdendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Tractatus X. Vnumquemque suo statu contentum debere viuere generatim  
ostenditur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

## TRACTATUS X.

Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic, 1. Cor. 7. v. 7. vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesiis doceo v. 17.

*Ostenditur, ut quietus quis sit, eum statu suo contentum imprimis debere viuere: nec debere velle aliud esse quàm quod est.*

## P R O O E M I V M.



D nos ipsos, nostraque propius iam accedimus; opus aggredimur imprimis difficile. hinc perturbationum omnium scaturigo est, imò & sentina; denique hinc vlcus latet: leni sanè pertractandum est manu. Maxima mæroris querelarumque caussa, sumus ipsimet nobis. Quid mirum, cuncta nobis quòd displiceant, si nobis ipsi non placemus? quid mirum, si alia semper atque alia volumus, si nos ipsi alij atque alij semper esse desideramus, & nunquam arrideat id quod sumus? Tam sumus miseri mortales, imò vt quod res est fateamur, impudentes, vt licet omnia Dei opera generatim comprobemus, omniaque bene fecisse iudicemus, in nobis tamen rectè effingendis, constituendisque, errasse arbitremur illam, quam credimus esse sapientiam infinitam. Hinc maxima in nobis oritur perturbatio, quòd nemo fere vnus se ipso contentus viuat, nemini status, quem occupat, arrideat; omnes viuunt queruli, ideoque miseri. Et verò, vt tumultus hos animorum sedem, doceamque deinceps quantà tranquillitate casus omnes excipiendi sint, qui non communem tantùm rem, sed priuatam quoque concernunt; illud nunc conficiendum primò est, vt quisque con-

ditioni suæ acquiescat, statumque, quem in hâc vitâ occupat, contentus viuat. Hoc vt consequar, illud secundò demonstrandum est, optimum, vnumquemque habere à Deo statum; commodissimum, inquam & aptissimum, quo quisque salutis suæ, diuinoque honori possit consulere.

## §. I.

*Vt quisque contentus sit esse id quod est, id sibi persuadeat, à Deo sic se in orbe constitutum, sicuti est.*

PLENUM æquor tenuimus adhuc; contrahamus si placet vela, & ex alto descendentes, legamus posthâc littora; imò terram subeuntes, fluminum crepidines & æstuarîa conscendamus. Imensum inquam Diuinæ Prouidentîæ pelagus utcumque permeauimus, industriamque, quam orbis vniuersitati regendæ adhibet prudens Deus, quantum humanarum ratiocinationum fert imbecillitas conspeximus: tempus est vt tandem ad singula particulatim spectanda descendamus, sic vt ingentem illam Scientiam Dei, non tantum in toto terrarum orbe digerendo & dirigendo impensam admiremur, verum etiam cum summâ animi demissione & stupore, illud cum Dauide dicamus *mirabilis facta est scientia tua ex me.* Tu igitur attende ô homo, & Deum obstupeſce.

*Tantam curam gerit Deus vniuersi, que hominis, quantâ vniuersi.*

Quod quidem ordine vt faciamus, hoc certum ratumque nobis esse debet, eandem prorsus curam de minimâ re Deum gerere, quàm de maximâ; neque minus mendicabulo attendere, quàm Regi potentissimo; denique vt verbo absoluaui, non minori stare studiò hominis vniuersi, quàm totius vniuersi gubernationem. Dei oraculum est, illud Sapientis, *Pusillum & magnum ipse fecit, & equaliter est illi cura de omnibus.* Quid enim? certe si vt ante à me demonstratum est, 1. omnia & singula verbo virtutis eius sint condita: 2. si ab eius ore, id est, sanctissimâ voluntate, adhuc modò per singula momenta dependeant. 3. si omnia eiusdem sint pretij Deo comparata; nam vt rectè Isaias. *Omnes gentes quasi non sint coram te, & tanquam nihilum & inane reputati sunt:* 4. si singuli, quotquot sumus, Diuino honori, quem

quem sibi in omni opere præfixum habet. Deus, promouendo possumus subseruire: 5. cum æquè facilè ei sit totam disponere vniuersitatem rerum, quàm quæ ad vnum dumtaxat spectant hominem conformare: 6. si æquè magnâ industriâ opus sit, vt de vnico homine decernat, quàm de vniuerso: 7. Denique, si ipsa totius vniuersitatis recta dispositio, ab vnus hominis concinnâ rectâque ordinatione dependeat, quæ quidem omnia præcedentibus tractatibus fustus sumus executi: hæc, inquam, omnia si vera sunt, vt sunt verissima; sane nulli posthæc dubiū esse potest, quin eadem de minimâ re, quæ de omnibus, Diuinæ Menti sit curatio. Eadem dico, non æqualis tantum: cum hæc curare non possit aut disponere, nisi & de illis iudicium ferat, & decernat. Sic nempe ideam, de præclarâ quam mente concipit picturâ, figurare sibi non potest pictor, nisi omnium quas penicillo producturus est imaginum, locum, situm magnitudinemque conceperit, & designarit. Neque cum manum admouet tabulæ. minùs ei curandum est de minimâ rei effigie, ne nimis exilis sit, nimisq; humilis, ne obscura nimis diluteque expressa, quàm de præclarissimarum, quasque oculis maximè vult patere, imaginum formis & figuris. vna enim effigies, etiam obscuritate suâ, splendorem dat toti operi, & proportionem tribuit perspectiua.

*Imò & eandem.*

3. Illud itaque cum sic mecum statui, tum verò oculos mentis ad me reflecto; illudque accuratè peruoluo, quid tandem de me ipso possim conqueri? aut quid velle possim esse, præter id quod sum? aut quem tandem alium in hoc mundo situm, statumue, præter eum quem mihi natura dedit, sapienter & ratione possim exoptare? sapienter inquam; nam stultè præterque rationem, nihil non optamus. Antiquum id est naturæ vitium, nunquam se ipsâ contentam viuere, sibi que per vota nunquam complenda, præsentis vitæ delectationem inuidere, imò & eripere.

*Itaque ne velis esse aliud, quàm quod es.*

4. Verum vt sapienter statuamus de tantâ re, sic mecum ago. An ego cæcus homo plus Deo sapio? minimè. Non igitur mihi magis perspectum est, è re meâ quid sit, quàm illi cui perspicere omnia, ipsissima est natura, id quidem verissimum est. Rursus, nonne quantus quantus sum, Dei magis sum quàm meus? quis dubitet? Nonne ex me, & per me honori suo consulit, & saluti meæ? Nil verius. Denique vt finem sibi præfixum consequatur, credibile est eum vias inire certissimas & securissimas. non cre-

*Quia omnia bene fecit, fecit & te bene.*

dibile id tantum est, sed & ipsa veritas. Quod si hæc ita sint, sic mecum rationem instituo. An ergo in me solo rectè disponendo, à Sapientissimo Numine erratum sit, qui quæ extra me sunt omnia præclarissimè ordinavit? magna illa & sublimia cælorum corpora ex arte sciuit disponere; solem, lunam, cæterosque planetas & stellas suo quasque loco aptissimè collocavit; terræ, mari, imò & leuissimo aëri ventisque, tribuit quidquid, naturæ vt bene esset, poterant exigere; non metas tantum præfixit, sed & pondus ventis dedit, ne quidquam illis deesset, vti egregie aduertit Iob *Qui fecit ventis pondus*, hoc est, vt ego iam intelligo, quasi æquus minimeque parcus propola, mensurâ plenâ & confertâ, sua dona ad mensuram est, creaturisque iusto pondere distribuit, quidquid ad naturæ statum commodum, conuenientemque situm visum est conducere: & is qui omnia potuit suis locis, temporibus, & naturæ coaptare, & ad amussim mensuramque componere, is inquam de me solo, in tanto opere aptè non potuit quidquam statuere; aut si potuit, credibile est noluisse?

Iob 15.

Quid dicam? quid cogitem? an cælus fortasse solemque & lunam, nobiliores esse creaturas, quàm vt ijs possim comparari, easque idcirco maiori curâ dignas, me verò non tantâ? Id verò longè est falsissimum. Infinito certè interuallo, à dignitate nobilitateque naturæ meæ distant, vt qui corpus habeo longè maiori artificio compositum & intertextum; animâ præterea, præditus sum, cuius natura est ratio; & quod summum est nobilitatis decus, pro quâ mortem subire non dedignatus est Filius Dei. Quid tantæ dignitati opponere possunt, quantumuis magna cælorum corpora? mihi certè seruiunt, nec aliam ob causam sunt. Quis ergo mihi persuaferit seruorum mancipiorumque curam geri, & quidem magnam, & quidem accuratam, Dominos autem negligi & haberi contemptui? hoc certè præter omnem rationem cum sit, in Deum, qui est ipsa ratio, cadere non posse, fit illico manifestum. Hinc rursus liquidò conficio, vt minimum æquale studium, æqualemque industriam contulisse Diuinum artificem, vt de apto mihi loco, statu, conditioneque in hæc vniuersi tabulâ prospiceret ad Diuinam eius voluntatem commodè exequendam, & sic consulendum honori suo; quàm Soli, Lunæ, Cælis, atque adeò, absit verbo inuidia, ipsis Angelis.

5.

Imò maiorem: cui rationem habet, quam celestium corporum quæ tamen fecit valde bona.

Acquiesce ergo tanto

Tantum ergo curam mei cum gesserit is, qui in rem deducere potest

6.

potest quidquid vult, is cuius voluntati nullus error potest irrepere; clarissime contuincor acquiescere debere me, idque firmissime iudicare, optimum id esse de me quod statuit; & convenientiorem aut locum aut statum, in hoc vniuerso habere non potuisse, nec Diuino honori promouendo, nec saluti meæ procurandæ, quàm eum quem nunc occupo ex Dei decreto. Aut sanè dicendum est, præ Deo me in meâ causâ sapere, in quâ tamen nemo non cœcutit; aut certè Deum quòd convenientius mihi sciuit præstare noluisse; quæ quidem horrenda est blasphemia: cum nihil ita certum sit, quàm quod *voluntas Dei sit sanctificatio nostra*, adeoque præstare omnia quæ ad eam liquidò conducunt.

*Etiam accurato artificio.*

1 Thessal.  
4.

## §. II.

*Quia verò Deum status sui auctorem esse nemo considerat, ideo nemo suâ conditione contentus est. Ostenditur autem, quàm id contrarationem sit.*

7. **T**Am clara & euidentis est mihi hæc demonstratio, vt eâ probe perspectâ, facillimè cogitationibus omnibus possim occurrere, quæ nos dementant quotidie, magnamque obijciunt animo perturbationem, dolorisque materiam. Ea enim vulgaris, maximeque obuia est dolendi causâ, quòd numquam nobis placeat id quod sumus; neque corpore hoc quo fruimur contenti sumus, neque ingenio, animique dotibus, neque valerudine, neque adeo ijs, quæ naturam superant, gratiæ donis. Vt cumque ea omnia à Deo nobis præstita fateamur, semper tamen conquerimur de defectu; aut non sat multa nobis exhibita ingrati, aut alijs meliora præstantioraque fuisse concessa inuidi querulique causamur. Verùm vt de alienæ felicitatis inuidentiâ non agamus modò, quæso identidem mecum perpendite, quàm late pateant toto orbe contra Deum diffusa querimonia; etiã eorum qui Diuini nominis nec sunt, nec haberi volunt contemptores; sed vt sit, murmurationis familiaritas, conquerendique consuetudo, pudorem vitio infamiamque detraxit.

*Turbamur passim, quia nemo suâ conditione contentus est.*

8. Etenim quid vulgare magis tritumque, quàm cum negotiis mora

*Et semper preferimus alienam.*

morâ iniicitur, aut aliter quàm volebamus res eueniunt (tunc enim potissimum in querimonias abripimur) illico in statum nostrum inuehi, conditionemque detestari nos, per quam factum fuerit, ut his quæ patimur, expositi essemus malis? Ah si Angeli essemus, qui nullâ irgentur corporis curâ, exclamat is qui domesticâ re premitur, operique, lucri causâ, dies noctesque non sine fastidio insudat. O si viri essemus, ingeminat mulier partus doloribus iam exhausta. Si studijs vacare potuissem inquit indoctus, quàm facilis mihi pateret ad commodè viuendum via!

*O fortunatum Mercatorem grauis annis*

*Miles ait, fractus iam longo membra labore!*

*Contra Mercator, nauim iactantibus Austris,*

*Militia est potior: quid enim? concurritur; bore*

*Momento, aut cita mors venit, aut victoria leta.*

Horat.  
sat. 1.

Qui matrimonio constrictus est, eo se vinculo constringi non debuisse clamat; & sanè si iungi debebat, non huic tamen faminæ in manus conuenire; non huic illa viro sese nubere, nisi perperam oportuisse. Rursus ij ipsi qui castitatis legibus constricti, perfectioris vitæ tenent institutum, etiam de suo statu liberè obmurmurant; non illi se religioni dare, non illam vitæ formam inire è re suâ tuisse; alias esse semitas, aliam viuendi methodum, quâ facilius certiusque perfectionis apicem fuerant consecuturi.

Bone Deus! quid non de te querelarum vbique est! arbitrari ego, nihil non ab illâ sapientissimâ Prouidentia ordine, ritè & sanctè ordinatum; & ecce video turbata omnia, nihil non pessimò collocatum & locò & modò. Qui humili statutus est in gradu, nimis is humilis, nimis is depressus est: qui altiori euectus fastigio, nimium eleuatus dicitur: qui nusquam rebus admouetur ob exiguas animi ingenijque dotes, nihil se agendum quod habeat, ingemiscit: qui dotes eas est consecutus, ut opera eius passim expetatur; miserrimum se exclamat, cuique ne ad necessariam quidem quietem quidquam detur otij: Ecclesiasticorum status nimis commodus videtur multis; sæcularium nimis implicitus & intricatus, quàm ut Dei obsequio sese dedicerent, debitoque faciant fatis. Sic passim queruntur homines. Adeò ut manifestum sit, aut Deum huius constitutionis auctorem designatoremque primum errasse grauitè, aut verò turpissimè er-

rare

rare nos. Illud autem fieri non potest; alterum itaque est verissimum. in nobis erratum non est, verum à nobis erratur gravissimè, dum tam perperam iudicamus. Et quod pessimum est nostro erramus damno; nam peruersum hoc iudicium, maximarum in nobis perturbationum est origo. Istud penitus animo euellendum est & corrigendum, vt sis quietus: frustra que te in hanc miseram vitam turbare conquereris, si ipsam primam mali causam in sinu fers, & verò etiam foues.

10. At quò pacto iudicium illud corrigam inquires? certè non corriges disputando ipsemet tecum; verum vt iam à principio edicebam, ingentem illam præcellensamque de Deo opinionem excitando, quàm humanæ & ex tuo tantum commodo enatæ proterantur ratiunculæ, & phantasie sic abigantur, vt ne obstrepere quidem audeant. Illud semper obuersetur animo, maximè cum malis incipit succumbere, totam huius ingentis machinæ constitutionem, & veluti tabulam, Dei designationem esse. Totius autem, te esse partem; parua sis an magna, parum interest, dum pars es. *pusillum enim & magnum ipse fecit*, non aliter quàm pictor egregius, minimas etiam, quæque casu projectæ videntur imagines, hominumque velut umbras, non nisi ex ideâ, quam studio figurauit, secundum perspectiuæ leges, educit accuratè.

*Obmurmuramus, quia non consideramus, ita nos à Deo in hac vitæ di tabulâ collocatos esse.*

11. Iam verò, quod nemo nisi artis imperitus mihi negauerit, vt omnis picturæ decor & symmetria ex eo existit, vt singula quæ exponuntur corpora, debitam seruent inter se proportionem, pro loci in quo constituuntur distantia; atque adeo alterum altero eminentius locari debet, alterum obscurius adumbrari, lætioribus fucis & coloribus educi alterum, prout ars exigit & symmetria, à quâ profus pictoris gloria & fama dependet: ita profectò tibi omnino persuadeas, vniuersi exactam perfectionem, ab eo dependere statu, non quem tu tibi fingis, sed quem tibi effinxit Deus. Sanè is omnia dum in Ideis suis statuit & figurat, suo tempore & loco producenda in lucem; sic concepit omnia, vt in omnibus te conceperit; nec rursus te concepit, nisi conciperet simul ordinaretque omnia. Et si artificis gloria ex rectâ figurarum constitutione pendet, certè iam Diuinæ Providentiæ bona fama, ex te quòd vir sis, ex te quòd imbecillis sæmina; ex te quòd Rex sis, ex te quòd vile mancipium; ex te quòd hebes ingeniò, ex te quòd merum mendicabulum, liquidissimè dependet.



*unusquisque enim ut Diuinus ait Paulus proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic.* Debitam autem gloriam Deo das, eamque promoues tu quisquis es, ô homo, si statum eum, quem summus artifex magno & prudenti consilio tibi selegit, gratanter acceptes, & lætus dicas; O summe rerum moderator Deus, à te sum id quod sum, neque aliud esse desidero quam quod sum; quia id sum quod ille desiderat esse me, qui à se solus est. 1. Cor. 7.

*Exponitur  
murmura-  
tionis  
huius indi-  
gnitas per  
compara-  
tionem pi-  
ctura.*

Et verò, si tam sancto prudentique consilio refragaris, nã tu profectò tantæ Mentis iniurius, qui totam operis, propter te, perdi vis symmetriam. Hoc eminuerò tãdij leuandi causã, lepidius exponamus. An non picturam illam perditum iri dixeris, si obscuriores illæ imagines, & homuncionum dilutę vmbra quæ in vltima picturæ, perspectiuæque regione collocatæ vix comparerent, inter se iunctis animis obmurmurare incipiant, deque suo statu conqueri? nolle profectò, nolle se tantopere ablegari, & in angulum detrudi; maiores esse cupere; neque eos esse, sic abscondi qui debeant & latere inter vmbas; conspici se velle; sat diu se primorum tergoribus obtectos, & hominum oculis ereptos; sat diu se sola summa capita tantum extendisse; ora efferre se velle posthãc, pectus ostendere, quin imò & manus. Quis ad hæc non excandescat? quis non illico sapiens iis id dicat: Inanes masculi, vacua cerebella, aut vestro, quem vobis ars præfixit, state loco, nec gressum mouere, aut illico totã picturã vnico penicillo obducta proscribimini. habetis quod vestrum est, quod res, quod ars, quod locus exigit; refragandi non est licentia; aut si est, non erit impunita. Quod si verò audacior ex illis quis, præ se stantes effigies incipiat vi protrudere & loco dimouere, illudque quasi per contemptum indignabundus tamen dicat; Quid sibi vult coloratus hic gigas, cur mihi antepositur? an aliud quidquam est quàm ego sum? si coloribus constat, & ego colores meos habeo; meminerit sanè & me eodem sub lapide fuisse & se contritum, cum essemus colores meri. Quid ergo hic se toto conspicuus ostentat corpore, vbi ego tantum humeros aut capitis partem exiguam possum proderè? abeat sanè ille, nec mihi officiat; & videbit orbis vniuersus pigmæum me non esse, nec eum qui in lucem clarã non potuerim promoueri. Quid faciet ad hæc voces irritatus pictor? certè vmbaticas istas lites non facile: 12.

cilè componet, nisi altiùs originem suam illis ingerendo, clarè dicat: Infani masculi, superbi pygmæi, homunciones vmbatici, meræ vmbra; ingenij mei solius fœtus estis vos: quòd sitis, hoc meum est; illo loco quòd sitis, hoc etiam meum est; imò murmurare quòd possitis, hoc quoque debetis mihi. Rationes meas ne clamoribus vestris interturbate: tales quòd sitis, id exigat ars mea, imò & res vestra. Itaque situm seruate quem dedi, estote quod volui esse vos; sin aliud esse vultis, nec aliud critis, nec verò aliud esse voletis impune. Hæc verò si pictor, pro sua autoritate, seuerus diceret, confestim credo pygmæos omnes, quibus sua bilis fuit, retracturos auriculas, magnòque silentiò occupaturos locum, quem turbati deseruerant; & præ pudore obuelaturos & vultum & os, reuerituri posthâc artificem à cuius ingenio & manu sunt, id quod sunt.

13. Homunciones miseri! miseri inquam quia semper queruli; quid tantopere taciti obmurmuramus conditioni nostræ? modò nos humiles & obscuros, modò nimis hominum oculis expositos nos causamur, nunquam placet id quod sumus. Impudentes verò nos & stolidos! An non id fatis est, è Dei æternâ Mente eductos nos esse, & in hanc mundi tabulam exporrectos, præ infinitis alijs creaturis, quæ eodem iure quò nos condi potuissent? & quia tibi tantum beneficium præstatur, aliquid te habere iuris existimas, vt hoc vel hoc modo, isto vel isto tempore, hoc vel alio statu, in mundi scenam educaris? Quòd si nullum planè ius potes prætere, nec beneficium tamen vis agnoscere, saltem nullam tibi fieri iniuriam fatearis necesse est. Quòd si nulla sit iniuria, iniusta sanè tua querimonia est, adeoque Deo iniuria.

*Applicatur  
hominibus  
compara-  
tio.*

14. Adde, quod certè Dei cultoribus summo debet esse solatio, tuo situ & conditione æquè Artificem diuinum honorari, quantumuis esses miserum pædoreque fœdum mendicabulum, quàm si in cælis solem ageres, aut in terris Regem. Nam *pusillum & magnum ipse fecit*, hoc semper attendite; & si bene fecit, ipsius ea est gloria; sin malè, ignominia. Et ignominiosum sibi quid, facere voluisse Deum, credemus nos?

*A cuiuslibet  
hominis  
particulari  
statu depen-  
det Dei  
gloria.*

15. Denique, an omnes poterant Reges esse, an omnes dominari, an imperare omnes, an omnes esse diuites, an ingeniosi omnes, an omnes coniugio implicari, an omnes esse Ecclesiastici, an

*Neque om-  
nes in mû-  
di tabulâ,  
perfecta vt  
sit, aqua-  
les esse pos-  
sunt.*

*Nec ullus  
nus habet,  
ut hoc po-  
sit si quā  
illud.*

mares omnes, an omnes fāmīnæ? Id quidem euicimus vniuersitati rerum non conducere; & verò totus decor pulcherrimæ, quam intuemur, mundi tabulæ periret illico, omnes, quæ effinguntur proponunturque imagines, eiusdem magnitudinis si sint, eiusdem coloris & situs. Quæ demum isthæc esset proportio? sanè nulla, vt tute fateris ipsemet. Quòd si verò æqualitas illa seruari nec potuit nec verò etiam debuit, quò tu quæso iure hoc quod tu vis, esse debuisti potiùs, quàm alius quilibet, qui tibi naturâ æqualis est, & iure non inferior? cur tibi eminentior debebatur locus, excluso illo qui non minor te est? cur tibi debebatur sceptrum, vbi ligo & aratrum in manus dantur non ignobiliores tuis? an quidquam Deo dedisti forsitan, an occulta quædam contulisti merita, cùm adhuc in rerum naturâ non eras, vt id fieres, esse quod modo vis? nulla planè. Quid ergo conquereris?

*Et magna-  
rum excel-  
lentia, à  
solâ Dei il-  
los extollē-  
tis volun-  
tate est.*

At nec Reges ipsi vlllo modo meriti sunt, vt ad dignitatem tantam eueherentur. Fateor; sed sunt, id quod Deus eos esse voluit; & præter hanc sanctissimam Dei voluntatem, nihil in eis præclarum est, nihil magnum, nihil quod reuerear. Sic sanè & in maioribus, quæ in picturâ prominent, imaginibus, nihil magnopere admirandum est nisi ars pictoris, artisque sola constitutio: reliqua toti tabulæ sunt communia. Hanc igitur voluntatem Dei in omnibus circumspice, hanc venerare, hanc adora, neque in creatis omnibus quidquam obstupesce nisi hanc. Hæc certè solâ es, quidquid es; huic igitur acquiesce; pro hæc, totâ animi contentione & submissione Artifici gratias age, à quo habes gratus, ingratusque esse quòd possis. Hoc confitere, & sic gloriam Dei extendis & auges, non minùs per tuam conditionem quantumuis humilè, quàm Reges Imperatoresque summi, per eam quam præ se ferunt dignitatem. Hæc enim laus Dei est, omnia sic esse ordinata, vt totum parti correspondeat, & pars toti vitium non faciat. Primum, Dei omnia rectè aptantis est industria: secundum, tua est, ô Homo, virtus, disciplina, & Religio. *Hoc enim vt præclare commentator Epicteti, disciplinam omnem continet, se coniungere cum vniuerso & vnum cum eo esse velle.* qui verò sponte suâ vniuerso se coniungit, cum eoque se vnum facit, is profectò vniuersi Conditori Deo coniungitur, & cùm eo vnus est: & in hac coniunctione cum eo qui mutari non potest,

16.

*Simplic.  
in Epict.  
c.18.*

potest, tota hominis consistit quies & perfectio. Verùm hoc vltimum perfequi aliquantulum fortasse non erit abs re, vt paruz, quæ supereft, querimoniz fiat satis.

## §. III.

*Ostenditur quòd statu suo contentum non esse, sit totius vniuersi tranquillitati & ordini se opponere: quod sanè absurdum est.*

17. **P**vlchrè hæc dicuntur, inquires, neque sine causâ, si magna pars hominum, ob eas, quæ obuoluuntur querelas de statu dimoueri, & in ampliorem extendi, aut in humiliorem deberent contrahi: certum est rebus humanis tantam mutationem plurimum offecturam. Verùm quid inde aut Deo aut vniuersitati orbis nascetur incommodi, si ego solus statum mutem; & qui modò pauper sum, subito diues fiam; aut qui modò propola cum sim merces vendo, cras iudex in subellijs feram sententiam? Ain verò? Quid ni pari iure, quæ modò es fãmina, cras etiam vir sis? Hoc volo, inquires; & quid exinde quæso cæteris omnibus mali accidet, mihi vni quòd sit melius? Næ tu sanè commodis tuis studes in paucis, & causæ tam ridiculæ patrocinaris egregiè! Quid si ergo cum de muliere in marem transferis, postridiè te status iterum pæniteat, & in mentem veniat Angelum esse debuisse te; an iterum in eum etiam statam transmuetanda es, vt Diuinæ ordinationi acquiescas? Et quid si ne tunc quidem è genio tuo sis, alia efformanda Deo erit rerum vniuersitas, cui tu pro tuo libitu & comodo inferare? Ridiculum id quidem est, imo insanum, vt egregiè Epicteti commentator, *Si nup. ibi.* *vniuerso repugnare, & velle vt vniuersum partem tam vilem sequatur, vnicam tantum ob causam, quia pars vult esse id quod non est.*

*At inquires, quid id noceat vniuerso si solus ego alius sum, quam iam sum?*

18. Age verò, tu qui tuis commodis tantopere infudas. Rogas me quid tandem incommodi suboriturum sit, si tibi statum mutare detur pro tuo consilio, & lubentia? Illud sanè; quòd cum omnes mortales eodem hæc in parte tecum sint iure, hoc est, nullo, idem à Deo priuilegium postulari meritò sint, quod tibi

*Refutatur hæc obiectio, eo quod omnes homines eodem iure quo tu volēt gaudere.*

viderint esse concessum. Aut fortè ceteros omnes ab eo excludi vis, tibi que vni præ cunctis dari? vide sis, ne felicissimus esse cum vis, mortalium omnium fias miserrimus. Totum enim mortale genus in te concitabis hõc modò, vt quem videant felicitatem eam alijs inuidere, quam tibi soli à Deo postulas assignari. Quòd si ergo alios excluseris, omnium in odio futurus idcirco cum sis omniumque indignationi exponendus, hominum omnium in quocumque, quem delegeris statu, eris miserrimus.

*Hinc si ho-  
mines id  
siant quod  
esse volunt,  
nihil fiet in  
soto uni-  
uerso.*

19. Quòd si verò mortales omnes eodem tecum priuilegio gaudere vis, vt de conditione suâ statuque possint decernere, eumque eligere pro libitu, qui placuerit; tum verò perturbatus erit pulcherrimus rerum qui nunc est ordo; omnia tumultibus resonabunt, & abibunt in antiquum chaos: & hoc quidem demonstrare non erit difficile. Primò enim, quòd si ab ipso creationis suæ exordio, cuilibet homini conditionem quam volet eligendi detur potestas; iam certè in eorum arbitrio positum erit, vt quilibet mas esse velit, nemo mulier; item vt quilibet Regis appetat dignitatem, nemo subditi demissionem. Appetant ergo omnes, appetere eos quod est possibile, imò quod appetituros planè est credibile, cum nemo sibi non velit quod præstantius: en quantum turbarum in ipsis creaturarum in lucem prodeuntium primordiis exorietur illico: decertabitur vndique de natalibus, omnes mares esse cupient, omnes Reges, nemo non sibi patrem seliget potentem, aut principem, aut Regem: isthic de loco natiuitatis grauis orietur disputatio; alijs de tempore non conueniet, hæc enim omnia conditioni futuræ conducunt. Denique si omnium desiderijs debeat satisfieri, nihil profus æternitate totà fiet; nunquam enim inter hominum producendorum tam diuersa consilia voluntatesque, fieri poterit, vt quisque prout vult prodeat amicâ concordia.

*Et vt ali-  
quid fiat,  
nulla erit  
in vniuer-  
so, rerum  
stabilitas  
& ordo.*

20. Deinde concordia inter homines vt fiat, singulique nanciscantur quam elegerint conditionem, tamen diuturna illa pax vt sit, fieri non potest. Si enim eo pergant vt priuilegio iam pro suo libitu nati homines, vt semper possint esse quod voluerint; certè non millies, sed infinitis vicibus anno vnico, totam rerum machinam ordinemque mutari necesse fuerit. Non enim ab alijs dissentimus tantum, sed quod pessimum, nobis ipsis non constamus; ipsa desideria nostra nos oppugnant, nobiscum bella gerimus.

mus. quod heri placebat, hodie displicet; quodque apertis brachiis amplectebamur, fastidiosi iam reiicimus: imò horâ vnicâ idem tibi status horrore est & oneri, qui modò fuerat in deliciis. Matrimonio tibi videtur nihil optabilius, paulò post nihil tanto onere molestius, idque præsertim cum rixarum aliquid intercurrit. Ambis magno studio munus in Republicâ; onus cum sentis quod sponte suscepisti, priuati conditionem eligis, & suspiras. Modò Ecclesiasticus, modò sæcularis arridet status: alter altero melior est, cum tibi id videtur. Itaque cum tam instabiles sint appetitus hominum, sanè si iis se semper accommodet cuncta vt disponat Deus, infinita nascetur confestim rerum diuersitas & vicissitudo; nullusque iam erit in orbe status, vbi semper & vbi que mutantur omnia; & verò mutari necesse est, quia tu id vis. Nullum igitur in orbe munus erit stabile, nullum matrimonium constans, nullum imperium diuturnum, nullus status fixus, nulla conditio posthâc firma: quod si ita est, totus totius tabulæ decolor ordo & symmetria euanesceat: vno verbo, orbis perit.

2 I.  
Simplic.  
in comm.  
Epic. c.  
78.

Quid ergo consilij, inquires, quid factò opus incommoda tanta vt euadamus? vnicum illud Simplicij, *coniungere se cum vniuerso*, eumque situm aut conditionem constanter tenere, quam tibi summus ille artifex accuratò delegit consiliò, iam tum cum ex Ideis quas ab ipsâ aternitate conformauerat, te condendo euocauit; ibique perstes, vbi stare te voluit, Diuinæ destinationi reuerenter modesteque acquiescens. Multis magnoque molimine, tanquam summi momenti religionisque rem, id inculcat magnus Paulus. id sibi quisque penitus, inquit, persuadeat quod iam dico. *Vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Vnusquisque autem sicut eum vocauit Deus, ita ambulet, sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Vnusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat. seruus vocatus es, non sit tibi cura; sed etsi potes fieri liber, magis vtere* (statu serui, pro vt cum Chrysofomo & communi interpretatur Estius) *qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui libertus vocatus est, seruus est Christi. vnusquisque in quo vocatus est, maneat.* En quam disertis verbis idem non semel, sed sæpius etiam repetat magnus Apostolus. nouerat enim quantum felicitati nostræ interfit, id semel imbibisse, animoque penitus, & non superficie tenus solummodò & quasi cursum infixisse.

Itaque te  
vniuerso  
ac comoda  
et tuo con-  
terum sis.

Verum

Quia Deus  
habeo in v.  
nuptio co-  
stituit.

Verum, si placet, hunc Pauli locum ad mentem meam quam nuper exposui explicemus. Meministis credo docuisse me, creationem nihil aliud esse quam loquelam Dei; singulas vero creaturas, singula esse verba Diuino ore prolata. *Dixit enim & facta sunt. Dixit Deus fiat lux, & facta est lux, siue & erat lux.* Item *ignis, grando, nix, spiritus procellarum, qui faciunt*; hoc est constituunt, *verbum eius*; quæ quidem tunc fusiùs sumus executi: Quid verò nunc Paulus? Attende, inquit, quomodo te Deus fuerit elocutus, in quam vocem te efformarit. Cùm enim adhuc in primâ Scientiâ Dei, seu simplicis intelligentiæ volumine versareris, inter possibles tantùm creaturas constitutus, quâ voce te legit Deus, elegitque vt esses? quomodo te euocauit, & quasi proclamauit vt prodires? seruus euocatus es, mas, mulier, Rex, mancipium, an libertus? *non sit tibi cura. Vnusquisque in quâ vocatione vocatus est & euocatus, in eâ permanent.* Ita te Mens Dei tulit, ita Dei vox te protulit, nec verbo Dei, quod tu ipse es, verbum oppone si sapis; ex arte constitutus es in mundi tabulâ, pictoris ordinem ne interpella. Si manus tantùm & brachia, in hâc tabulâ voluit exerere te; sanè manus exere, labora & incumbe operi: si pectus; pectus ostende, animique fortitudinem: si caput; caput exere, studijs operam da, cerebrique dotibus orbi prodis, manibus alij dum laborant; si facie valēs, specieque corporis es haud indecorâ, facièm ostendas licet, sed pudicam, dummodo frontem non perfrices. *Vnusquisque prout eum vocauit Deus, ita ambulet, ita sedeat, ita stet; hoc est, ita sit.* Neque est quòd quisquam de suo statu aut efferatur, aut etiam conqueratur, inquit Paulus; nam si in humili depressoque tibi videris constitutus loco, in Dei tamen Mente magnus es, cuius arte paruus es. Quod si magnus tibi videris altiori quòd stas loco, credè mihi in Dei mente cæteris æqualis es, Deo verò comparatus, omnino nullus es. Si mancipium es in tabulâ, in Dei tamen arte nulli cedis, aut nobilitate naturæ, aut artis te effingentis præstantiâ. Si potentis Regis Majestatem præfers, mancipium certè, imò plusquam mancipium Dei es, à cuius arte solâ es quod es, futurusque semper id quod eris. Hæc laus est Dei, hæc gloria conditoris: *omnia quæcumque voluit fecit in celo & in terra, & quod laudem omnem exsuperat, omnia bene fecit.*

Psalm 113.

minu

Hoc

23.

Hoc tantum à te exigitur, ô homo, vt cum cætera omnia id sint quod ea esse voluit tantus Deus artifexque, tu eius gloriæ vitium ne facias; sed quantum in te est, gloriam augeas conditoris. Augebis autem, si dum statu tuo contentus es, benè prudenterque te in hanc mundi tabulamne dicam, an fabulam fuisse eductum, re ipsâ fateare. Nemo certè sibi de magnis dignitatibus, munisque gratuletur: nemo sibi de viliori fortunâ indignetur. Si tabulam hætenus dixi mundum hunc, fabulam tamen meritò etiam dixerim. Personata enim hæc sunt omnia, scenam subimus dum viuimus: vnusquisque vitæ suæ actor est. Quapropter vt præclare admonet Epictetus *Astorem esse fabule talis, qualis magistro probata fuerit te memento. Si breuis, breuis; si longa, longe; si mendicum te agere voluit, fac eam personam ingeniosè quoque representes; ita si claudum, si principem, si plebeium. Hoc enim tuum est, datam personam bene effingere; eam autem eligere, alterius.* Inuertimus nos rem, & sic omnia euertimus. Eligere personam agendam volumus, magis solliciti quid agamus, quam vt benè. Eligere autem cum volumus, malè eligimus; & quod pessimum est, hoc ipsum quod eligimus si obtingat, acturi pessimè. Qui modò plebeium, priuatumque hominem agere recusat, Princeps prout vult si fiat, Principis partes aget tædissimè. Itaque conticescant posthæc querulæ hæc voces; Vtinam diues forem aut mas, aut à matrimonij vinculo liber! vtinam Ecclesiastici vitam agere liceret mihi! futiles sunt eiusmodi voces & vota. Non quid agas, sed quomodo, Dei interest. Pauperis partes age, si pauperem te Deus voluit; verum ingeniosè age, hoc est, vt pauperem agere vult Deus. Si mulier es, mulieris, sed modestæ vultum præ te fer; conjugio si astrictus, id age vt matrimonij leges accuratè expleas; & sic partes omnes, numerosque compleueris, quos à te Diuini Numinis destinatio exigit, eiusque quam d ere benè actâ, lex te deposcit nominis sui laus & gloria.

Epict.  
in enchir.  
c. 23.

Et hæc est  
Dei gloria,  
partes tuas  
ingeniosè  
agere te.



## S. IV.

*Occurritur obiectionibus. Ac primò ostenditur quòd quivis in suo statu possit Deo perfectè servire.*

*Obiicies, quod in tuo statu tempus non habeas seruire Deo.*

**I**ncipis tandem & dicitis & conditioni tuæ acquiescere, murmurator improvide? Aliquousque, inquires, verum nondum planè. nam quantumcumque meo statu contentus sim, tamen alios meliores esse comperio. Quos verò meliores vocas tu? eos sanè repones illico, in quibus maior & Deo obsequendi & salutem æternam accurandi est commoditas, Itaque vt video, commodum tuum quæris, non Dei Gloriam. Minimè, inquires, non volo mihi esse commodè, nisi vt commodiùs Deo obsequar, plusque mihi ad id sit otij & temporis. Longiorem itaque vitam tibi postulas? Non postulo, inquis. Non postulas? at ego quid sit habere plus otij & temporis ad obsequendum Deo, & non habere plus vitæ, id prorsus non intelligo: vnum si vis, alterum vis. Etenim, an Religiosi, aut ij ad quorum conditionem anhelas, plures, quàm viginti quatuor horas habent diebus singulis? minimè id quidem, inquires; sed inter totidem horas, plures habent, quas orationi diuinoque impendant obsequio, quàm ego. certè mihi, rebus agendis, operique cui affigor astricto, vix superest, quod Deo dem, momentum vnicum.

*Refutatur hac obiectione, quia nunquam melius seruitur Deo, quàm prestando obsequia quæ ipse petit.*

**E**n vt ex ipsâ Dei gloriâ promouendâ, diuini obsequij studio, murmurationibus suis quantumcumque insultis, excusationem petant prætexantque nunquam quieturi mortales. Enimvero vt commodis suis inhiant, de diuino obsequio & cultu sunt solliciti. Verum quis tibi id persuasit miselle homuncio, orando tantum seruire Deo nos, nisi sola vulgi opinio, & ea quam quæris commodè, vt tute tibi fingis, viuendi ratio? An non Deo obsequi, est voluntatem Dei exequi, officioque quod ab eo exigitur, facere satis? id quidem credo ego. Itaque si Religiosi orent, Deique laudes decantent per plures horas, faciunt id, quod eos facere voluit Deus: tu verò si manuum labori insistis cum sis plebeius, si causas agis cum sis causidicus, si domui inuigilas cum sis paterfamilias, certè id facis, quod vt faceres, esse te voluit

luit Deus id quod es. An ergo Deo non obsequeris? an illi laudi non es? Quod si ita est, & utrobique Deo præstetur obsequium; quid id tuâ refert quò pacto id sibi præstari voluerit à te, modò Diuinæ voluntati sit factum satis? Ad picturam rursus animum aduertite. An non masculus is, qui ligna summo nili & conatu findit; æquè pictoris arti & voluntati, vt sic dicam, obsequitur, ac is qui brachiis decussatis, toto corpore erectus, astra contemplans cælos aspicit? non est dubium.

26. Quid igitur falsa nobis imaginamur & imponimus? sudas tu die toto, fornaci affides ferrumque effingis; fingere id te vult Deus. Infantem tu fers vtero summâ cum molestiâ; mox nato & vbera, & lac, & curam, & diem omnem impendis, impendere te quia vult Deus. Ecquis igitur mihi persuadeat, minus te seruire Deo, quàm is qui si status id exigit, orando dies cum nocte coniungit? Quæ demum est ista sentiendi peruersitas? an non is seruit, Domini sui voluntatem qui exequitur? procul dubio. At verò, is non perfectè seruit, qui cum ab hero forte horto fodiendo curandoque adhibetur, os yultumque contrahit, & malle se mensæ ministrandæ operam dare, tacitus sibi querulusque obmurmurat. Neque hîc mihi reponas, actiones illas operaque & munia, necessitate tibi imposita, iis te victum parare, & familiæ prospicere; quasi verò necessitas excludat obsequium Dei. Quinimo necessitas illa euentissimum est voluntatis Diuinæ indicium: hanc tibi imposuit, vt is esses, qui manuum labore curisque implicitus vitam ageres. Vitam ergo si sic agis, & si libenter agis, quia id tibi oneris à Deo est impositum, cui sanæ menti dubium esse potest, quin Deo seruias & quidem accuratissimè?

*Patet in Christo.*

27. Quæso, ne id importunè reuocemus in dubium. Existimo enim nulli magis perspectum fuisse quid sit seruire Deo, quàm Christo, qui id de seipso fert testimonium aut potius elogium, *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me, & quidem semper & vbique.* Iam verò, hunc ipsum perfectionis omnis apicem & exemplar, video seruili insudare operæ annos plurimos, malleis & dolabræ manus eas impendere, quas denique pro mortali genere deprecaturus in cælum sustulit, & verò etiam in cruce figendas dedit moriturus. An ergo voluntati Diuinæ non obsequebatur, cum iuuenis in maternâ domo totos dies carpentariam exerceret? imò verò magis crediderim, labo-

rando tunc Patri fecisse satis, gratusque obsequium præstitisse, quam si tunc temporis opere manuali deserto, se totum precibus aut etiam formandis hominum moribus impendisset. id gratum Deo fuit cum exigebatur; ingratum haud dubie futurum, si præter tempus fuerat exhibendum.

*In ex lib. dis autem bene operibus statui propriis, perfectio vniuscuiusq; consistit.*

*Hinc quis in suo statu potest esse perfectus.*

Itaque ne bonitatem statûs incusa vel extolle. status sanè nec bonitatem nec malitiam operibus tuis, obsequioque confert: verum id conferunt opera, quæ conditio statusque exigunt. Atque id his tandem præcipuum est bonitatis, malitiæue fundamentum, & vero etiam apex. 28.

Neque statum vllum esse scias quantumuis humilem, quantumuis curis implicitum, in quo non tam perfectè vitam possis agere, quam in alio quouis: siquidem perfectio tota in hoc consistit, vt id agas accuratè, quod in tuo statu exigit Deus, non verò quod exigit in alieno. In eo autem erramus grauissimè: boni omnes esse cupimus; sed bonitate alienâ non nostrâ; & sic, nec illam consequimur, nec nostram vnquam exhibemus. Neque verò matrimonio iunctis necesse est perfectos religiosos esse, perfecti ipsi vt sint; habent sua quique officia. Neque vt perfectum pauperem agas, diuitis & potentis virtutes vt exerceas, vilo modò requiritur: eleemosynas erogent illi, tu egestatem ferâs. Neque plebeium hominem Verbo Dei disseminando vacare oportet, vt perfectus sit opificio dum incumbit: quisque, quod exigitur à Deo, id agat; quisque quia exigitur à Deo, id agat; denique quisque sicut à Deo exigitur pro suâ conditione & statu id exequatur, & vnusquisque tum perfectionis apicem est adeptus; gratus Deo est, & hoc sufficit. Nam vt grauissimè affirmat D. Petrus. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Act. 10.

§. V.

*Ostenditur neminem iudicare posse, quòd in alio statu perfectiorem vitam fuisset acturus.*

**A**Dhuc tamen, vt suspicor, querimoniarum tuarum non est factum satis. nam licet in quocumque demum statu perfectè Dei voluntatem 30.

luntatem exequi quemuis posse fateare; tamen id semper animo  
 obuoluitur, commodius longè te Deo obsequi potuisse; plura  
 que agere ex re cultuque Numinis quæ sint, si diuitiis afflueres,  
 quam modò, cum victui necessario comparando omnis exigitur  
 ætas, & impenduntur tibi: alia longè piæclarioraque facturum  
 te, in Ecclesiastico statu constitutum, aut alteri meliori que iun-  
 ctum coniugi. Quid enim hocce meum matrimonium est, in  
 quies, nisi rixarum mærorisque perpetuum stabileque semina-  
 rium? Parce verbis quæso, scio quò tendas, mihi que si placet  
 aures accommoda. Vin vt òs occludam tibi, omniaque mentis  
 dissidia, hâc in parte, penitus vt componam? *is sibi bi sup sup*

31. Illud ergo primò interrogo, quâ tu tandem ratione possis de-  
 cernere, alio in statu acturus quid sis, cum tibi nullo pacto con-  
 stare possit, quæ tibi tunc futura sit mens? quid scis, quas tibi  
 tunc tricas, quas tentationes, quas animi molestias obuoluturus  
 fuisset Dæmon, aut ea quam circumgestas, animo rebellis caro?  
 Quis nouit quod in consortium, quos inquam in scopulos im-  
 pingendus, quos habiturus tibi superiores quibus subdare, quos  
 subditos quibus imperes? Quâ tunc animi constitutione, quo  
 genio, læto an tristi, qua mente, facili an difficili futuram te iu-  
 dicas, alio planè in rerum conditionisque statu; qui ne iam qui-  
 dem quo genio post horam futurus sis, satis apertè potes discer-  
 nere? Rides modò, sibi fortasse tunc; nunc animo tranquillo  
 es, mox fortasse rixæ & iurgia tempestates excitabunt longè  
 grauissimas. Tu verò qui matrimonium aliud à tuo iudicas re-  
 bus tuis futurum conuenientius, quâ quæso id ratione tutò potes  
 discernere, & absque errandi manifestissimo periculo? hunc sanè  
 de quo modò conquereris coniugem arbitrato tuo selegisti,  
 optimumque tum rebaris fortasse omnium quos ferebat tellus.  
 Erraui inquires. Credo equidem: at qui credam ego, iam non et-  
 iam errare te? optimum dum olim vt putas eligis, elegisti vt  
 iam fateris, pessimum. Minimè, inquires, optimus erat, illi cum  
 nupsi; verum suò vitiò peruersus est deinde. Ita sanè sit: sed quo  
 pacto constat tibi non peruertendum fuisse eum, quem tibi men-  
 te designas, quemque futurum tibi arbitraris tam beneuolum?  
 alios sanè vultus præferunt proci, alios voti compotes facti iam  
 mariti. Quidquid sit, inquires, peior certè hóc, quò nunc vexor  
 coniuge, esse non poterat; non moribus asperior, non animo

*Nemo p-  
 test deest.  
 nero an in  
 alio statu  
 non fuisse  
 habiturus  
 plures ma-  
 lestias.*

vultuque ferocior. Hoc quidem effutis tu, vt reliqua omnia: sed quem virtutis, quam tibi in alio fingis, futuræ habes sponforem? quis pro eius humanitate tibi impendendâ, fidem facit? multorū enim vocibus circumfertur, te per nimiam impudentiam, effrænemque dicacitatem, omnis dissidij domesticæ causam esse; non tulisset ne tam diu quidem fortasse, is quem tibi tam beneuolum depingis, importunam sibi proteruè imperantem sâminam; & sic quem affabilem nunc esse dicis, triplo fortassis asperiozem, quam quem excutere vis maritum, tuâ fecisset gar rulitas. Itaque nihil hic certi potes statuere; coniecturâ ageris. Eas autem sequi, quid id est aliud, quam se in errorum barathrum coniecturando conijcere?

*Malo etiam  
feliciter gra-  
tias à Deo  
in alio sta-  
tu dandis  
- ut scribit  
- nihil*

Insuper, an florentiorem illum, illum commodiorem, melioremue quem tibi animo formas vitæ statum, rebus cælestibus consequendis, animæque tuæ saluti comparandæ conducibiliorem futurum existimas? an satis tibi roboris futurum fuisse credis, quo difficultates, quas status ille secum fert, potuisses per-rumpere; eaque exequi omnia munia, quæ aut in Religione, aut in dignitate tali constituto imponuntur, meritoque ab eo exiguntur? An animæ tuæ prospexisses tum, in tam ancipiti loco, tantis periculis expositus? Prospexissem, inquires. Verum quam fidem exhibes, tibi vt credam, aut etiam tute vt tibi contulisset, reponis, gratiam suam, Deus, misericors, sine qua vt nihil, ita cum eâ, nihil non possumus. Præolare admodum de Deo sentis: sed ego de te, tibi que timeo.

Illud certe non satis capio, quâ fronte tibi gratiam à Deo dandam polliceris, vt eâ quæ in statu illo, quem tibi effingis & feligis, occurrunt mala per-rumpas; sancteque viuas; neque tam id tibi persuadeas, liberaliorem profectò longè futurum tam beneuolum Deum, vt tibi de gratijs omnibus munificè prospiciat, quibus conditionis quam ipse tibi elegit & designauit incommoda, virili feras animo, & quæ ab eo exiguntur, commode exequaris. Magillne ergo, allaboraturum Deum credis, vt faueat electioni tuæ, quam destinationi suæ? Omnia tibi videris per-rupturus mala, ad omnia onera perferenda suffecturos tibi animos polliceris; submissum, patientem, liberalem, affabilem futurum te asseris, modo id, quod optas sis, semperque Dei fauore tibi impendendo, niti te clamas. Sed non vi-  
deo,

deo, quâ gratiâ, gratiam tibi impendi vis, pro eo dandam statu quem tibi contra Dei mentem feligis, neque illi gratiâ fidas modò, quam pro hòc, quem tibi dedit, statu rectè exigendo liberalissime dat quotidie. Hanc si tu reijcis ingratus, præfidens sanè illam temerarijusque expectas.

34. Inuolucra sunt tantum infirmitatis nostræ, velaque quæ voluntati stolidæ, nunquamque sibi benè constanti obducimus, isthæ dicta dicere: *ô si Religionem ingredi dicuisset mihi, si magis tranquillam negotijsque minus obnoxiam vitam agere fuisset datum! quid non obsequij contulisset Deo, quot merita bonis operibus mihi non accumulasset! Hoc sanè si ex animo sincerè pronuntias, id saltem agè, quod potès modò, easque quæ nunc suppetunt dotes, quàm potès optimè, Dei obsequio studioseque impende. Impendes autem, si nullâ re gratiosiore in Auctori tuo futurum te persuaseris, quàm si tu quidem ligone, tu malleo, calamo tû, tu armis, tu ingenio, manibus laborando tu, tu Ecclesiasticis incumbendo pensis, tu verò liberis rectè educandis operam dando, munus impositum ritè expleas, aliudque omnino nolis esse modò, quàm quod modò ex Deo es. Frustra verò mihi persuadere conaberis, obsequium Deo debitum tunc rectè executurum te, qui modò tam negligenter proiectè que agis; semper ingratus Deo, semper querulus. Cessarent, inquires, tunc omnes querimoniz. Quod si ita sit, certè cessent iam; erisque modò quod tunc futurum te existimas; verus nempe sincerusque seruus, tuam operam pro suâ sanctâ voluntate exigentis Dei.*

35. Maneat id igitur, non esse quod quis iudicet, quo in statu accuratius exacturus fuisset vitam: illud enim certum est, ignorare nos superuentura quid ætas allatura sit, quâ indole, quo genio, futuri deinceps, quâ valetudine corporis, quâ fortitudine animi, quibus immiscendi difficultatibus, quas à Dæmone molestias subituri, quibus iungendi comitibus: denique nulla nobis circumstantiâ futura, nunc comperta est, ex infinitis, quarum singulæ, rem totam variant, alterantque status malitiam & bonitatem. Quid ergo de te tam incognitâ cæci iudicamus, quid improvidi decernimus?

*Ostenditur tandem ideo tibi statum quem habes selegisse Deum,  
quia tibi saluti consequenda futurus erat aptior.*

*In nullo  
statu eris  
perfectior,  
quā in tuo  
quē Deus  
tibi assigna-  
uit.*

**V**ERUM ut scrupulum omnem turbationemque animo euel-  
lam, non tantum dico quod de alio quem tibi fingis statu,  
iudicare non possis, meliorem tibi futurus sit an deterior: illud  
secundo assero, ut plene acquiescas, alium statum non suppete-  
re, in quo perfectius vitam acturus sis, quam hunc, ob quem gau-  
dere cum deberes, ingemiscis. Posses quidem in alio esse perfe-  
ctior, verum posses & in tuo: in illo autem licet posses, nego  
tamen meliorem futurum te. Hoc si recte demonstrare potue-  
ro, exortata est causa Dei. Id verò, menti Diuinarum rerum su-  
perioribus Tractatibus explicaturum cognitione imbutæ per-  
suadere non erit admodum difficile.

*Eum enim  
tibi statum  
selegit  
Deus, in  
quo te sci-  
uit futurū  
optimum,  
sibi que  
magis ho-  
norificum.*

**H**OC enim imprimis certum est, Deum vniuersi auctorem  
non minori studio accurare singula, quam omnia. Illud æquè  
certum, non casu me in lucem hanc productum, sed summâ in-  
dustria attendisse eximium Artificem, quo situ, quo loco, quo  
tempore, quâ conditione, quo statu me in hac vniuersitatis ta-  
bula exponeret, non tantum gloriæ suæ, sed & salutis meæ ra-  
tionibus accuratè expensis. Quid enim? nec folium vento ab-  
ripitur, nec capillus in terram decedit, ut Christus ipse testatur,  
cuius exactam rationem non habeat Deus; adeo ut ne folij qui-  
dem casus casu incidat, sed destinato Dei sic statuentis arbitrio:  
& quisquis mihi persuaserit, eum accuratissimam rationem  
non habuisse præstantissimæ creaturæ ratione nobilissimâ præ-  
dita, quamque ita adamarit, ut ad cælestis gloriæ hæreditatem  
erexerit, Diuinitatis iam capacem, postquam Diuino Sanguini  
est inserta. Quod si itaque statui meo procurando maximam  
gesserit curam optimus sapientissimusque Deus, dubitare non  
possum quin eum selegit, quem suæ gloriæ meique rationibus  
maximè conducere iudicabat. Potuit enim id agere si voluit;  
voluisse autem non est dubium, eum, qui vult quod est opti-  
mum. Hinc illud certò tecum statue, quod licet in alio statu,

IV 2

faci-

faciliores forsitan commodioresque sint ad virtutem salutemque viæ, eas tamen tibi commodiores facilioresque minimè futuras, ob ea quæ tu quidem nescis, Deo autem liquidò sunt perspecta.

*Exponitur  
quomodo  
id sciuerit  
& selegit  
Deus.*

38.

Psal. 138.

Auditores, hæc vna cogitatio, cogitationem mihi omnem adimit; nec habeo quod dicam, nisi Dauidicum illud, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, ex me solo statusque mei consideratione, admirabilis planè existet, si paululùm expendatur Deus. An non enim admirationem id omnem superat, status omnes habere quos potuisti (potuisti autem nancisci infinitos) omnes, inquam, perlustrasse eum Diuinæ Mentis acumine, antequam te, quod es & prout es, condere decerneret, eamque tibi constitutionem daret quæ libero tuo arbitrio, ad bene viuendum impendendo, maximè deseruaret? Deus immortalis quantò hîc studiò opus fuit! & quis huic operi suffecisset, præter hunc immortalem Deum! Id enim statuere nullo pacto potuit, nisi infinitâ suâ conditionalium, quam exposui, scientiâ, omnes quotquot possibiles sunt conditiones casusque, qui singulis possunt obtingere, complexus sit & penetrarit. hos autem infinitos esse liquidò patet. Illud itaque sciuit quid acturus fuisset, si mas, si fæmina, si Rex, si plebeius, si diues, si pauper, si bono, si hebeti ingenio fuisset; rursus si in Indiâ natus, si in Belgio, si in Hispaniâ, quid quoque loco euenturum fuisset tibi; & ne in re infinitâ numquamque exhauriendâ infinitus sim, particulatim etiam sciuit quid in quouis cum quâcumque matrimonio, quid in quâuis religione, quouis tempore, quouis loco, quibusuis Præfectis, commilitonibus, & circumstantiis infinitis variatis, tibi fuisset animi, quid virtutis, quid spei, quid rei.

39.

Omnem illam Scientiam tibi, rectè in hâc mundi serie collocando, impendit; circumstantiasque ex infinitis, eas selegit, in quibus perspexit libero arbitrio aut optimè, aut certè minimè malè fuisse vsurum te, vt sic saluti tuæ optimè consuleret. Et verò eandem profus scientiam & industriam, in omnium hominum conuenienti ordinatione exhibendâ, applicare debuit magnus artifex, solummodò tibi mihi que vt rectè prouideret. Quo pacto enim de me quidquam poterat decernere, nisi simul & de parentibus meis certi quid statueret? de his autem nihil poterat ordinare, nisi totam ab Adamo futuram hominum seriem, omnesque rerum circumstantias in suos ordines distribuere.

L I

Itaque



Itaque infinitis, vt dixi, rerum differentiis, hominum, locorum, temporum, dignitatum, geniorumque circumstantiis probè expensis, cum illæ sese offerrent, in quibus dubio procul, libertate te tuâ maloque arbitrij vsu condemnandum vidit quem amabat; illis omnibus circumstantiis quæ statum hunc faciunt, reiectis, eas selegit, quas saluti acquirendæ, tibi maximè profuturas liquidò cognoscebat. 40.

*Damnâdis  
verò credi-  
bile est eum  
statum pro-  
uidisse, in  
quo minus  
haberent  
damnatio-  
nis.*

Quid verò de damnandis statuit, inquires? Dicam, quod Misericordiam Dei sedulò expendenti, & in damnatis quoque admiranti mihi in mentem venit. Certissimum id verò est, fideique articulus, neminem à misericorde Deo ad æterna destinari creandum supplicia, vt impiè de tam immensâ Bonitate garrunt Sectarij. *Perditio tua Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Verùm ita piè cenfeo, Deum cum in tertiò Scientiæ suæ quam de rebus conditionalibus habet volumine, perspexit hominem hunc quem creare decernit non tamen damnare, libero nihilominus arbitrio ita vsurum, vt nec in Religionis statu, nec in sæculari, nec in dignitate constitutus, nec ad paupertatem deiectus, nec ægro nec valenti corpore, nec mas nec fæmina, salutis æternæ consequendæ rationem habiturus sit: tunc inquam planè mihi persuadeo, tantam esse Diuinam pietatem & Misericordiam, vt ex omnibus iis statibus, in quibus cognoscit hominem pro suâ libertate & malitiâ damnandum, eum adhuc eligat, in quo, secundùm communem Gratiarum cursum, scit minimè saltem malè, libertate suâ abufurum hominem, minoremque propterea sibi damnationem pariturum: aut certè eum deligit, in quo grauissima etiam scelera permittere, ingentem aliquam Deo sit gloriam allaturum; pro vt de Tyrannorum immanitate philosophati sumus, quorum sæuitia, tantam Martyrum multitudinem Deo, gloriamque cumulauit. 41.

*Itaq; Pro-  
uidentiã  
Diuine in  
tuo statu  
acquiesce.*

Pluribus id probare nunc supersedeo; quamquam mihi certum sit, quod sicut teste Apostolo *Dei voluntas est Sanctificatio vestra*, ita voluntas eius sit minimè offendi velle, & in damnatis minimum velle reperire quod castiget. Illud modò vrgeo, eam esse Dei mentem ô Homo, te illo in statu constituere, qui maximè saluti tuæ conducturus est; aut si tu salutis curam habere non vis, saltem minimè obfuturus. Adde, quòd is sit status tuus, in quo sanctiorem te, quàm in quouis alio futurum; omnibus ritè inspectis, 42.

*1. Thess.  
4.  
vide  
Tract. 19.  
num. 35.  
& 36.*

inspectis, prospexit Deus. Quod si ita est, si tantus in me collocando impensus labor, tantum adhibitum est studium, tot tamque graui impensa consilia & expensa; quid ego de rebus meis statuere, quid conqueri possum homo minimæ mentis, cæcus & rerum omnium ignarum caput? quin igitur tanto Numini acquiesco: cur tantæ sapientiæ fatuitatem meam temerarius & impudens non subiicio?

43. Hanc sanè disponentis cuncta Dei sapientiam ob oculos habere identidem, si tuo statu contentus viuere desideras. Teque cum consideras quid modò sis, illud cum Psalmista admirandus exclama. *Domine probasti me, id est scrutatus es me meaque omnia, & cognouisti me. Tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas à longè, semitam meam & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti.* Sic est Dauid. quid verò tu ad hæc? Mirari, inquit, possum, eloqui non possum, *non est sermo in lingua meâ.* Nam verè *Tu cognouisti omnia*: omnibusque cognitis & expensis, tandem *Formasti me.* per te sum id quod sum. quid dicam? sane hoc vnicum, *Mirabilis facta est scientia tua ex me, & non potero ad eam.*

*Eam semper habe præ oculis, ut tuo lectus sis.*

44. Nonne mirabile id est & stupendum, tantâ cognitionum congerie, tantâ scientiâ, tanto studio opus quòd fuerit, ut Dauid formaretur pastor futurus & ex pastore Rex? Et hoc nonne æquè stupendum est, eadem omnia quæ Dauidi studia tibi quoque impendisse Deum, antequam te in hanc lucem euocauit; antequam decerneret an in matrimonio collocandus, an huic cõiungendus vir uxori, aut si vxor, viro; an huic vel illi admouendus operi aut dignitati? Tanto opere, ut sic dicam, Deo stetit plebeium designare te, te propolam, te militem, Religiosum te, te marem, faminam te, te denique vile mendicabulum, te verò Regem? Quid, quòd decreto hoc de te formato tandem de parentibus tibi assignandis, de loco vbi nascereris, de amicis qui subsidio essent, de omnibus denique circumstantiis sigillatim cogitarit, per quas, in eum quem mente designarat statum, infallibili euentu deuolueris: Certè hæc cum considero, obmutesco; *Nec est sermo in lingua meâ,* nimis enim *profundæ cogitationes tuæ* ô Deus, & nimis etiam *Mirabilis facta est scientia tua ex me.*

*Admirare studium Dei in seligendo tibi tuo statu adhibitu.*

45. Hoc solum possum dicere cum Augustino, *Constanter, ô homo, te Deo crede, eique te totum committe quantum potes. Acquiesce tandem*

*Et Diuinã tantã Providentiã gratias age.*

tandem aliquando tam sancto Dei consilio, nam verè *Resum*  
*indiciū eius & cogitationes hominum timide, & incerte omne pro-* Sap. 9.  
*videntię nostrę.* Interim gratias tibi maximas & immortales Æ-  
 terna Mens, eum me quòd condideris qui sum, hòc locò, hòc  
 tempore, hòc statu esse me quòd decreueris; aliud esse nolo, sed  
 alius; hoc est melior & non melius. Quid formaueris, id qui-  
 dem tu probè scis: hoc scio ego, *quia equitas iudicia tua, & mea* Psal. 118.  
 salus. Tuum est, quam quisque personam in hác mundi scenâ  
 exhibere debeat, seligere; nostrum agere, selegisti iam tu, & qui-  
 dem ratione optimâ; meâ nunc sunt partes, eam quàm optimè  
 perfectissimeque exequi. Talem me habebis posthac, qualem me  
 condidisti, & qualem me conditum esse voluisti. An tibi sufficit  
 id quod sum Maiestas infinita? sufficit tibi misellus homuncio,  
 rerræque vilissimum pondus Immense Deus, Prouidentia æter-  
 na, Sapientia inexhausta? O me felicem, felicitatem tantam si  
 intelligo! ô me fortunatum si me quid sim, & à quo id sim, rectè  
 percipio! Sic age tandem, & quiesces. *Sufficis tu Deo, vt rectè* D. Cyp.  
 Cyprianus, verùm vt tranquillo semper sis animo *sufficiat tibi* de Alcei.  
*tandem Deus. Et homo cuius Deus est, quid amplius querit?* Domini.



TRACTA-